

opere quatuor libris distincto tractandum est. De quibus agit D. THOMAS 2. 2. a q. 47. usque ad 171. cum antea virtutes theologicas explicasset. Libro primo dicendum breviter de prudentia. Secundo, de justitia (1). Tertio, de fortitudine. Quarto, de temperantia.

(1) Librum hunc secundum in praesenti appendice haud edendum censuimus; cum de eodem argumento specialem Tractatum Theol. Wirceb. t. 3. p. 2^a. complectatur.

LIBER PRIMUS.

DE PRUDENTIA.

CAPUT I.

DE PRUDENTIA IN SE SPECTATA.

DUBITATIO I.

QUID SIT PRUDENTIA.

D. Thom. quest. 47.

8. Prudentiae nomen dictum videtur a porro videndo, teste ISIDORO L. 10. Etymol. cap. 15. *Prudens*, inquit, dicitur quasi porro videns. *Perspicax enim est, et incertorum videt casus.* Graeci vocant φρόνησιν, παρά τοῦ φρονεῖν, quod sapere, intelligere, cogitare significat; cum affectu quodam ad rem cogitatam. Hoc autem ἀπό τῆς φρονέως, quod mentem denotat, derivatur. Accipitur autem dupliciter. *Primo* generatim, pro omni noticia veri, praesertim quae aliquo modo ad recte vivendum pertinet. Hoc modo AMBROSIVS L. 1. de Officiis cap. 24. dixit: *Prudentiam in veri investigatione versari, et scientiae plenioris infundere cupiditatem*, ut notavit D. THOMAS, quest. 47. art. 2. ad 2. Sic accepta comprehendit etiam fidem, et universam Theologiam, et saepe in Scripturis vocatur *Sapientia*, ut Ecclesiastici 3. et 33. Proverb. 3. et 8. Sapient. 6. et alibi. *Secundo*, speciatim et proprie, pro virtute intellectus proxime morum directrice. Hoc modo est virtus cardinalis, de qua hic tractamus. Hanc D. ANTONIVS, teste Cassiano collat. 2. cap. 2., omnibus aliis virtutibus praeferebat, tanquam directricem caeterarum, quae non sinat eas a recto ad dextram vel sinistram deflectere. Caeteras enim virtutes, si discretio absit, necessario impingere, vel nimio fervore, vel torpore, et remissione; hanc solam efficere ut regia via incedant. Item hanc esse, quae in Evangelio vocetur oculus, et lucerna corporis nostri, a qua totum virtutum veluti corpus sit illustrandum, etc. D. AMBROSIVS L. 1. de Officiis cap. 27. dicit prudentiam esse *primum officii* (id est, boni operis) *fontem*. Sine hac nec justitiam, nec aliam virtutem esse posse. Idem docet D. AUGUSTINUS L. 1. de moribus Ecclesiae, cap. 24. Ex quibus constat quanti haec virtus sit momenti, quantoque studio comparanda. Variis modis defini niri potest.

9. D. AUGUSTINUS L. 1. de lib. Arb. cap. 13. definit *Prudentiam esse rerum appetendarum et fugiendarum scientiam*. L. 83. qq. q. 30. *Esse rerum bonarum, et malarum, et neutrarum scientiam*. Aristoteles L. 6. Ethic. cap. 5. *Prudentia est habitus cum ratione vera circa bona humana activus*. Ubi quidam legunt, est *habitus verus*. Alii ex eodem Aristotele sic : *Prudentia est recta ratio agendorum*. Hæ omnes definitiones bonæ sunt : clarius tamen sic definiri potest : *Prudentia est virtus intellectus, qua in quovis negotio occurrente novimus quid honestum sit, quid turpe*. Hæc definitio habet quatuor partes.

PRIMA PARS. *Virtus intellectus*. Ad intellectum pertinere per se notum est, et indicat ipsum nomen, ut dictum est. Deinde functiones quæ ipsi tribuuntur, ut consultare, judicare, et imperare, quæ sunt rationis. *Esse virtutem* docet Aristot. loco citato, et omnes Philosophi atque Theologi, et colligitur innumeris sacræ Scripturæ locis, quibus prudentia commendatur, imprudentia reprehenditur et damnatur.

Probatur ratione, primo, quia est mensura et regula virtutum, quæ sunt in voluntate; a qua ratio virtutis in ipsas descendit : unde ipsa non potest non esse virtus. *Secundo*, quia est certa notitia honesti et turpis; ita enim prudentia fertur in suum objectum, ut ex modo judicandi falli non possit circa proprium objectum; quia evidenter cognoscit esse honestum vel turpe. Cujus signum est, quod is qui judicat sibi aliquid esse honestum, vel licitum, de quo dubitat vel formidat an in eo non peccet, sit imprudens et imprudenter judicat : nempe quia judicium prudentiæ debet esse evidens et certum, excludens omnem rationabilem formidinem. Dico rationabilem; quia non semper excludit scrupulum. Hic enim sæpe perseverat cum judicio prudentiæ; tamen ut tunc judicium sit prudens, debet reputari scrupulus : et sic etiam scrupulum quodammodo excludit prudentia. Etsi enim imaginatio peccati perseveret cum quadam anxietate, tamen per prudentiam reputatur umbra, non veritas.

Ex his sequitur, opinionem honesti non esse judicium prudentiæ, quia non ita fertur in suum objectum ut non possit esse falsa : quam ob causam non est virtus, ut recte Aristot. L. 6. Ethic. cap. 3.

Nec obstat quod interdum opinio sit vera; quia id non habet ex intrinseco modo tendendi in suum objectum, sed per accidens et fortuito. Nam sicut est vera, ita poterat esse falsa, nulla facta in ipsa variatione.

10. *Dices primo*. Etiam prudentia falli potest, ut patet in Jacob, qui judicabat honestum accedere ad hanc mulierem Liam; cum tamen non esset honestum; quia Lia non erat ejus uxor : de quo Genesis 29.

Respondeo. Prudentiam in proprio suo judicio falli non posse. Ratio est, quia judicium prudentiæ supponit diligentem, et juxta capacitatem humanam sufficientem rei considerationem : qua posita, etiamsi opus fortasse in se non sit absolute honestum, tamen respectu hujus hominis sic affecti est honestum, et ita judicatur cum his circumstantiis prudenter et absque errore esse honestum. Sicut enim potest aliquid esse jucundum alicui in certa dispositione et affectione, ut potus aquæ sitiendi, quod extra talem dispositionem esset molestum : ita etiam potest aliquid cuiquam in certa dispositione esse honestum, quod extra eam non esset. Sic ergo Jacob per pruden-

tiam non judicabat hanc esse suam uxorem; vel accedere ad hanc esse absolute honestum; (hæc enim judicia non erant judicia prudentiæ, neque imprudentiæ, sed inculpati erroris in homine prudente) sed judicabat hoc esse sibi honestum, spectatis circumstantiis, quæ tunc se offerebant. Hoc enim judicium immediate erat directivum operationis. Erat etiam hoc judicium verum; quia spectato illo errore inculcato, et cæteris circumstantiis, erat illi vere honestum ad hanc accedere, ut fusius ostensum est 4. 2. quæst. 19. artic. 6.

Dices secundo. Prudentia versatur circa operationes singulas, de quibus ob summam mutabilitatem nulla potest esse certitudo; possunt enim secundum innumeras circumstantias variari : unde Philosophi dicunt de rebus singularibus non esse scientiam; ergo prudentiæ judicium non potest esse certum.

Respond. Etsi demonstrationes non fiant de singularibus immediate, sed de universalibus, sub quibus multa singularia continentur, et hac ratione dicatur de singularibus non esse scientia : tamen de singularibus certa notitia haberi potest, qualia sint, vel esse debeant; ut hanc domum esse recte factam vel non recte; et, ut recte fiat, hæc et illa requiri : hoc enim judicium ex regulis universalibus et notitia universalium pendet. Sic potest esse certa notitia de actionibus singulis, sintne honestæ, nec ne, et quid requiratur ut honestæ fiant. Judicium enim semper fit ex certis et determinatis circumstantiis, cum quibus singulæ actiones faciendæ occurrunt, et ex determinatis principiis, quæ in rebus singulis sunt consideranda.

Dices tertio. Multi prudenter agunt, et tamen postea dubitant, vel formidant se male fecisse : aiunt enim, si male feci, Deus ignoscat; ergo prudentiæ judicium non est certum.

Respond. Si ante actionem, vel actione jam inchoata, dubites vel formides te peccare, non potes prudenter judicare id esse agendum; quia teneris abstinere, ne pecces. Nisi forte in abstinendo videretur tibi esse majus, vel certe non minus peccatum. Tunc enim prudenter et certo potes judicare esse faciendum, et reipsa facere, absque peccato. Nec refert quod tunc putes te peccare; quia iste error per accidens ex imbecillitate intellectus intervenit : nec impedit quominus illud judicium, quo judicas opus esse faciendum, sit prudens, eo quod nulla suppetat ratio in præsentî negotio melius judicandi. Nec obstat quod videaris agere contra conscientiam, ac proinde imprudenter et culpabiliter; quia revera non agis contra conscientiam : non enim dicat tibi opus esse omittendum; sed solum speculative videtur tibi esse peccatum, cum qua peccati imagine vel opinione stare potest judicium practicum : hoc opus hic et nunc secundum rectam rationem est mihi faciendum; quod judicium est certum, evidens, et prudens, et ex eo sequitur bona actio. Si vero post actionem formides esse peccatum, hæc formido non impedit quo minus judicium præcedens, ex quo secuta est actio, fuerit certum et evidens. Nam facile fit, ut actio, quæ antea se offerebat ut honesta, postea ob considerationem novæ circumstantiæ, vel oblivionem alicujus quæ adfuit, se offerat ut ambigua : quo modo nasci sæpe solent infiniti bonarum mentium scrupuli.

11. SECUNDA PARS. *Qua novimus in quovis negotio occurrente*; quia prudentia versatur circa actiones singulas. Non enim est prudens, qui novit in genere quidnam ad quamque virtutem requiratur, et in singulis actionibus obeundis non novit determinare circumstantias necessarias ad honestatem; v. g. locum, tempus, modum, etc. quod scire debet non in uno tantum genere actionum, sed in omni: alioquin non est absolute prudens, sed solum in certa materia et secundum quid. Itaque prudentia in iis, qui perfectum rationis usum habent, extendit se ad omnes actiones liberas totius vitæ, eas considerans et dirigens.

12. TERTIA PARS. *Quid honestum sit*, id est, quid deceat agere. Hic explicatur objectum, et effectus, et finis prudentiæ. Agere enim honeste est objectum prudentiæ, sicut ædificare domum est objectum artis, quod objectum prius natura quam existat consideratur a prudentia per modum objecti. Est etiam opus, seu effectus prudentiæ, sicut ædificare est effectus artis, quatenus prudentia dirigit voluntatem in eligendo, et potentias executrices in exequendo. Denique est etiam finis prudentiæ, quia prudentia non est ob cognitionem honesti, sed ob actionem; vide Arist. L. 6. Ethic. cap. 6.

Nota, prudentiam scire quid honestum et quomodo honeste agendum, quatenus novit in particulari determinare quæ circumstantiæ sint necessariæ ut opus fiat honestum: nempe ut temperate comedas, ut juste iudices, ut injuriam patienter feras, et similia.

13. QUARTA PARS. *Et quid turpe*. Sicut enim virtutis est facere bonum, et vitare malum; ita prudentiæ est nosse bonum ut agatur, et malum ut vitetur. Unde D. Aug. prudentiam dicit esse scientiam rerum appetendarum et vitandarum. Et Aristot. dicit prudentiam versari circa ea quæ bona vel mala sunt homini; nempe iudicando in particulari quid homini amplectendum, et quid vitandum in agendo. Ratio est, quia contrariorum eadem est scientia: nemo enim perfecte potest scire quomodo recte vivere debeat, nisi sciat quidnam in moribus sit vitandum.

14. Ex his facile intelligi possunt reliquæ definitiones. Prima enim, quæ est D. Aug., intelligenda est de scientia, seu notitia rerum appetendarum et vitandarum in particulari, seu in singulis actionibus. In secunda vero, quæ Aristotelis est, primo dicitur esse *habitus verus*, id est, qui per se, et natura sua verus est, non autem per accidens duntaxat, ut opinio. Secundo dicitur, *cum ratione activus*, id est per iudicium rationis. Iudicium enim rationis est proprius actus prudentiæ, per quem actum prudentia operatur actus aliarum virtutum, illas in suis actibus dirigendo. Quod autem illud, *cum ratione*, ita intelligendum sit, ut sit idem quod per rationem, tanquam per proprium actum, probatur; quia alioqui justitia, fortitudo, temperantia dicentur virtutes cum ratione activæ, ut quæ non possint agere sine iudicio rationis. Hoc tamen est contra mentem Aristotelis, qui vult illa parte excludere alias virtutes a definitione prudentiæ. Tertio dicitur, *circa ea*, etc. id est, circa honestum et turpe, nempe ut honestum agatur, turpe fugiatur. In tertia dicitur, *est recta ratio agendorum*, id est, notitia recte seu honeste agendi: seu, est notitia, qua recte dirigantur humanæ operationes.

DUBITATIO II.

QUOMODO PRUDENTIA AB ALIIS VIRTUTIBUS DISTINGUATUR.

D. Thom. quest. 47.

13. *Dico I.* A virtutibus moralibus distinguitur,

1° Quod prudentia sit in intellectu, ejusque actus elicited sit essentialiter notitia, virtutes autem morales sint in voluntate, earumque actus elicited sit essentialiter volitio vel nolitio. 2°. Hinc sequitur alia differentia; quod prudentia sit veluti mensura et regula, qua virtutes morales regulentur et dirigantur; quia actus voluntatis diriguntur per intellectum. 3°. Quod prudentia respiciat honestas actiones, sub ratione veri. Nam ejus est considerare quanam vere sint honestæ, quæ autem solum videantur tales, et quæ aperte inhonestæ. Virtutes autem morales respiciunt eas sub ratione boni; quia inclinant in eas, tanquam in proprium bonum naturæ rationalis.

16. *Dices.* D. Th. 2. 2. q. 47. art. 4. in 9. dicit prudentiam respicere bonum non solum materialiter, sed etiam formaliter, id est, inquit, sub ratione boni; ergo non sub ratione veri, quia fieri nequit ut eadem virtus, vel etiam eadem potentia respiciat suum objectum sub duplici ratione formali.

Omissa solutione Cajet. *Respondeo*, prudentiam respicere opus honestum dupliciter. Primo tanquam objectum cognoscibile, et sic respicit illud sub ratione veri. Secundo, ut finem operabilem, et sic respicit illud sub ratione boni. Non enim prudentia considerat quid honestum, ut in illa veritate cognita sistat, sed ut per virtutes morales illud operetur, quia bonum.

Adverte tamen, etiamsi prudentia sit essentialiter virtus intellectus, tamen ratione materiæ et finis, merito ponenda est inter virtutes morales: ut recte docet D. Thom. 1. 2. q. 58. art. 3. ad 1. quia tota versatur in consideratione et directione morum. Dicitur itaque moralis; non quod sit elicitediva morum, sicut justitia, fortitudo, temperantia; sed quia morum directiva.

17. *Dico II.* A virtutibus intellectus distinguitur.

A *sapientia* quidem, quia sapientia est mere speculativa, et versatur circa res divinas, et iudicat per causas supremas, nec postulat rectum affectum. Prudentia vero est omnino practica, versatur circa actiones humanas, iudicat sæpe per causas inferiores, et postulat affectum ordinatum. Vide Aristotelem L. 6. Ethic. c. 7.

Ab *intellectu*, quia intellectus est tantum habitualis cognitio principiorum, ex quibus aliorum notitia ducitur. Prudentia proprie versatur circa particularia, quæ ex principiis cognoscuntur. Unde supponit tanquam fundamentum, intellectum principiorum moralium, qui dicitur *συνδέσμις* secundum Theologos.

A *scientia*, quod scientia sit universalium, nec postulet rectum appetitum. Ab *arte*, quod ars sit recta ratio faciendorum (*τῶν ποιητῶν*); prudentia vero agendorum (*τῶν πρακτῶν*) juxta Aristotelem L. 6. Ethic. cap. 5. Ubi nota differentiam inter facere et agere (Græci dicunt *ποιεῖν* et *πράττειν*); *facere*, est

edere operationem transeuntem in externam materiam ut fiat aliquod opus v. g. domus, navis. *Agere*, est edere actionem immanentem unde homo fiat bonus vel malus. Secundo, prudentia imprimit actioni formam honesti : ars vero imprimit non actioni seu praxi, sed operi producto formam artificialem, usibus humanis accommodatam, ut patet non solum in artibus, quæ externam materiam adhibent, sed etiam in iis, quæ opus hominis, ut ars canendi, saltandi : cantus enim et saltus per se non sunt *πρόξεις*, sed opus, *ποιητόν*. Tertio, hinc sequitur alia differentia, ut prudentia postulet appetitum rectum, ars minime.

A *fide* distinguitur, quod fides versetur immediate circa mysteria divina, et alia quæ non sunt in nostra potestate, sitque magna ex parte speculativa : neque dirigat immediate nostras actiones : neque postulet rectum affectum, nisi circa auctoritatem primæ veritatis. Prudentia tamen Christiana necessario supponit fidem ; sicut scientia cognitionem principiorum, v. g. beatitudinem nostram consistere in visione Dei, hanc operibus bonis promerendam, Sacramentis utendum, etc.

Denique a *Theologia* distinguitur, quod Theologia magna ex parte sit speculativa, et non versetur immediate circa actiones nostras : neque postulet rectum affectum, nisi eo modo, quo fides. Prudentia tamen supernaturalis convenit cum Theologia, quod sicut Theologia supponit expressam fidem mysteriorum, et cognitionem multarum veritatum naturalium : ita prudentia supernaturalis supponit fidem principiorum revelatorum, ad mores pertinentium, et cognitionem naturalem non revelatorum.

DUBITATIO III.

QUENAM SINT FUNCTIONES PRUDENTIÆ.

D. Th. quest. 47. art. 6. 7. 8. 9.

Respondeo ; generatim ab Aristotele et D. Th. numerari tres, nempe *bene consultare*, *bene judicare*, et *præcipere executionem*. Debent autem hi actus, ut bene fiant, fieri certo modo ; nempe cum *sollicitudine et diligentia* : ut D. Th. art. 9. docet. Prudentia enim in suis functionibus postulat diligentiam ; scilicet prout conditio personæ, et negotii momentum requirit. Cujus signum est, quod nemo dicatur prudens, qui vel in consultando, vel in judicando, vel in exequendo non adhibet diligentiam debitam. Ratio est, quia prudentiæ est omnes circumstantias considerare, et omnia necessaria ad finem intentum (quantum fert conditio personæ) convenienti modo, loco, tempore, etc. adhibere : quod sine magna diligentia fieri nequit. Dico *quantum fert conditio personæ* ; quia si quis adhibuit quod potuit, ut recte judicaret, judicium erit prudens, etiamsi speculative erret, ut supra dictum est.

18. Primum igitur prudentiæ munus est, *bene consultare*, inquirendo quæ media, et quæ circumstantiæ necessariae sint ut opus fiat honeste, et secundum virtutem. Operari enim secundum virtutem est finis prudentiæ. Ad hunc finem quærit in singulis negotiis idonea media per consultationem.

Unde Aristoteles L. 6. Ethic. cap. 7. *Prudentis maxime opus est, recte consultare*. Plura de consilio diximus 1. 2. q. 14.

19. Secundum munus est, *recte judicare* post consultationem. Hoc autem fit, quando post diligentem inquisitionem et considerationem rei concluditur quid, quove modo, loco, tempore, quibusque aliis circumstantiis sit agendum, ut opus secundum virtutem fiat. Ad hoc judicium maxime expedit in promptu habere sententias Sapientum, et in primis quæ in Proverbiis Salomonis et Ecclesiastico ; hæ enim ad omnem prudentiam in omni vita hominem informant : unde consultum esset eas memoria tenere.

Per hosce duos actus prudentia dicitur *invenire*, et *præscribere medium virtutibus moralibus*, id est, quidnam in singulis functionibus mensuræ rationis sit commensum, non exorbitans per excessum aut defectum ; v. g. in justitia, quid, quantum, ubi, quando, cui sit restituendum ; in temperantia, quantum, quo modo, ubi, quando utendum cibo, vel uxore. Præscribit autem medium, judicando id esse medium, seu honestum, et per hoc judicium ostendendo, seu objiciendo illud voluntati, ut per virtutem moralem amplectatur.

Utrum autem prudentia etiam præscribat finem virtutibus moralibus, disputatur inter Scotum et Thomistas. Scotus enim in 3. d. 36. q. unica, art. 2. affirmat. Cajet. q. 47. art. 6. negat. Sed respondendum cum distinctione. Si enim loquamur de fine universali, et abstracto, quem virtus moralis per se adæquate respicit, sic prudentia per se non præscribit illi finem. Non enim per se dicitur prudentia in genere esse temperate vivendum, esse fortiter agendum, et patienter ferendum ; qui sunt fines universales adæquati virtutum moralium. Et hoc est quod vult D. Th. art. 6. cum ex mente Aristotelis ait, *prudentiæ non esse præstituere finem virtutibus moralibus, sed solum disponere de his quæ sunt ad finem*.

Dixi *per se*, quia etsi prudentia per se non præscribat in genere fines virtutum ; tamen præscribit eos per suum fundamentum, et principium ex quo pendet ; nempe per habitum *synderesis* (ut recte D. Th. art. 6. ad 1.) qui est notitia principiorum moralium, ut patet ex 4. p. q. 79. Hic enim dicitur esse temperate et juste vivendum, quæ in moralibus sunt principia. Et hoc sensu dici potest prudentia præstituere finem virtutibus moralibus, quia cum ipsa includat habitum *συνδερήσεως*, tanquam suum fundamentum et radicem ; quod per hunc fit, recte dicitur per prudentiam fieri, et hoc probant argumenta Scoti. Nam si virtus moralis secundum suam essentiam consideretur, non supponit necessario aliud dictamen prudentiæ quam dictamen *synderesis* ; cognita enim honestate, quæ est in temperate vivendo, potest homo in genere illi affici, et firmiter proponere temperate vivere : quod propositum permanens habitu, erit essentialiter virtus. Si vero loquamur de fine particulari, quem virtus moralis in singulis actionibus intendit, hunc finem per se ipsam præscribit prudentia, ut expresse docet D. Th. 1. 2. q. 66. art. 3. ad 3. Quia virtus moralis in singulis actionibus intendit honeste operari, seu attingere medium, ut per se constat ; hoc enim est finis intrinsecus in quaque actione virtutis. Quid autem in singulis honestum, seu medium, et quænam ad hoc necessaria, ostendit prudentia. His adde, prudentiam dici etiam præscribere ea quæ sunt ad finem, ut docet D. Th. art. 6.

ex Aristotele L. 6. Ethic. cap. 12 et 13. : tum quia posito affectu generali alicujus finis per virtutem moralem, v. g. per intentionem vivendi temperate, prudentia præscribit quibus, et qualibus actionibus ad eum finem pertingas : tum quia in singulis actionibus, posito affectu recte operandi, præscribit circumstantias ad hoc necessarias.

20. Tertium munus est, *recte imperare*. Hoc imperium multi Thomistæ putant esse actum omnino distinctum a judicio, qui semper sit necessarius, ut voluntas interius, vel exterius libere operetur : etsi enim intellectus judicet bonum esse hoc facere ; tamen voluntatem non posse moveri, nisi intellectus imperet voluntati ; interius dicendo : fac hoc ; quo imperio posito, voluntatem non posse detrectare, sed necessario obedire. Sed 1. 2. q. 17. art. 1. d. 2. ostensum est tale imperium non esse necessarium, imo evertere libertatem.

Itaque quando ab Aristotele. L. 6. Ethic. cap. 10. et D. Thom. a. 8. dicitur *prudentiæ esse imperare vel præcipere*, non intelligitur imperium proprie dictum, (nisi loquamur de prudentiæ œconomica, vel politica quæ respicit inferiorem) nemo enim sibi ipsi proprie imperat, dum aliquid facit : sed dicitur *imperare* ; quia prudentiæ est præscribere quid et quomodo agendum, et movere voluntatem ad consensum et ad opus. Præcipuus enim effectus, atque adeo finis prudentiæ est ut opus fiat, ut docet Aristoteles cap. 10. distinguens prudentiam a synesi, id est, perspicacia. Perspicaciæ enim solum est judicare : sed prudentia non sistit in judicando ; verum ulterius imperat, seu movet voluntatem ut opus faciat. Unde quantumvis aliquis recte judicet, si tamen non ita judicat in particulari ut reipsa voluntatem moveat opusve faciat, non dicitur prudens, sed imprudens, et imprudenter agere. Non quod aliquis actus elicitus prudentiæ illi desit, vel etiam quod interveniat aliquod judicium imprudens : (etsi enim plerumque, et fere semper tale judicium interveniat, quando non sequimur judicium prudentiæ in agendo ; tamen absolute non est necessarium : ut patet ex dictis 1. 2. q. 9. a. 1.) sed quia ultimus effectus, et finis prudentiæ deest ; et consequenter, quia aliquid fit, vel omittitur contra judicium prudentiæ. Quod autem recte dicatur prudentia imperare, et præcipere ratione hujus motionis, patet : tum quia præscribere quid agendum, et ita movere, est munus imperantis, et superioris : tum quia ideo dicitur ratio imperare appetitui inferiori, et anima corpori ; nempe quia aliquo modo movet, (non autem ratione imperii proprie dicti) ; ergo cum prudentiæ munus sit, instar superioris suo modo movere voluntatem, eamque in executione operis dirigere, recte dicitur ejus esse imperare.

Hinc sequitur, hoc imperium non fieri per aliquem actum distinctum a judicio, sed formaliter per actum judicii, quo prudens judicat hoc opus cum talibus circumstantiis esse faciendum. Nam hoc judicium omnino sufficit ex parte intellectus ad movendam voluntatem : non tamen habet rationem imperii efficaciæ, nisi reipsa moveat voluntatem. Consistit igitur hoc imperium in causalitate, et veluti efficientia, quam actus judicii habet in actum voluntatis : de quo plura diximus 1. 2. q. 9. a. 1.

Ex his facile intelligi potest quomodo prudentia præcipiat virtuti morali, non præstituendo illi finem, sed disponendo de his quæ sunt ad finem, ut ait

D. Thom. a. 6. et obscure explicat Cajet. Nempe quia prudentia per se movet virtutem moralem, non quidem ad affectum honesti in genere ; (ad hoc enim movet *synderesis*, ut dictum est) sed ad affectum honesti in singulis actionibus, ostendendo cum quibus circumstantiis debeat operari, ut honeste operetur.

21. *Dices*. Virtus moralis potius debet præcipere prudentiæ, quam prudentia ipsi ; quia virtus moralis versatur circa finem, prudentia autem circa ea quæ sunt ad finem, ut dictum est : atqui virtus, quæ versatur circa finem, imperat virtutibus quæ circa media ; ars enim militaris imperat artibus quæ conficiunt arma ; ergo.

Respondet Cajet. virtutem moralem non versari circa finem auctoritative, et ideo non posse imperare prudentiæ. Quod non versetur auctoritative, probat, quia virtus moralis non perficit primo intentionem finis, sed electionem mediorum. Sed hæc solutio non videtur vera. *Primo*, quia virtus moralis per se primo est affectus habitualis honesti, v. g. temperate vivendi ; quia est affectus boni per se amabilis ; ergo primo perficiet intentionem finis. Antecedens probatur ex D. August. L. de moribus Ecclesiæ c. 15. ubi docet *omnem virtutem esse amorem boni* : amor autem per se primo tendit in finem, non in media. *Secundo*, quia propositum seu intentio temperate vivendi est actus virtutis, cum sit difficilis, rectæ rationi consentaneus et laude dignus : atqui non potest esse actus secundarius virtutis ; tum quia est adæquatus virtuti temperantiæ : tum quia non supponit ullum alium actum seu affectum, unde sequatur ; est ergo primarius actus virtutis temperantiæ. *Tertio* voluntas primo et immediate inclinatur in affectum boni in genere ; ergo virtus moralis inclinatur primo et immediate in affectum honesti sui generis sibi adæquati ; quia omnis potentia et habitus primo et per se respicit objectum sibi adæquatum. *Quarto*, si virtus moralis, v. g. temperantia, non facit per se primo intentionem rectam circa finem, id est, circa vitam temperatam, quid est, quod illam rectam facit ? Non enim natura sua est recta ; debet ergo fieri recta ab aliquo habitu accessorio : qui habitus sine dubio est virtus, neque alia quam temperantiæ. Et quamvis valde probabile sit alium esse habitum circa finem abstracte consideratum, alium circa media ; sicut in scientiis alius ponitur habitus circa principia, alius circa conclusiones ; (nulla enim est ratio, quæ contrarium convincat, et proportio quæ est inter finem et principia, inter conclusiones et media id videtur postulare) tamen habitus circa finem, non est ponendus distincta virtus ab habitu circa media : sed uterque junctus, est una integra et completa virtus moralis, tendens in unum finem adæquatum, qui est honesta vita in tali materia. Sicut etiam habitus principiorum et conclusionum sunt una integra et completa virtus intellectus, tendens ad unum finem, qui est perfecta veritatis intelligentia. Dicuntur autem duo habitus et duæ virtutes intellectuales, sed partiales, et essentialiter incompletæ.

Omissa ergo sententia Cajet. Respondeo, virtutes morales etiam quodam modo præcipere seu imperare prudentiæ, sed aliter quam prudentia præcipiat ipsis. Ratio est, quia intellectus movet voluntatem, et vicissim voluntas intellectum. Prudentia igitur præcipit virtutibus moralibus, ostendendo, et præscribendo quomodo, et in quid ferri debeant ; et ita movendo ex parte

objecti ad speciem actus. Virtus moralis præcipit prudentiæ, volendo ut prudentia hoc vel illud consideret, et ita applicando ex parte subjecti ad exercitium actus. Hoc tamen non potest facere, nisi ante mota sit a prudentia, vel certe a synderesi. Itaque potius prudentia dicitur præcipere virtutibus moralibus, quam hæ virtutes prudentiæ: tum quia omnis motio incipit a prudentia; non enim voluntas potest movere, nisi ante mota per intellectum: tum quia motio prudentiæ est sublimior. Movet enim per modum finis et specificantis actum voluntatis; voluntas solum per modum applicantis extrinsecus: unde ejus motio sæpe non est necessaria.

DUBITATIO IV.

UTRUM PRUDENTIA PENDEAT A VIRTUTIBUS MORALIBUS ET QUOMODO.

22. *Respondeo*, prudentiam in suis functionibus pendere *ordinarie* a virtutibus moralibus.

Colligitur ex Aristot. L. 6. Ethic. c. 3. et 13. Probat, quia prudentiæ est, id quod in singulis actionibus est honestum apprehendere, seu judicare tanquam hic et nunc conveniens: atqui virtus moralis in voluntate existens, facit ut id quod est honestum videatur intellectui conveniens, et hic et nunc acceptandum. Quisque enim judicat prout est affectus: iracundus enim apprehendit intellectu vindictam tanquam convenientem, et intemperans voluptatem, avarus habere copiam pecuniarum: servare autem in his modum rationis, non apprehendunt ut conveniens sibi hic et nunc, sed ad summum, ut conveniens in genere, vel pro alio tempore et statu rerum. Sicut enim in animalibus, varii instinctus et propensiones naturæ faciunt ut phantasia apprehendat varias res tanquam convenientes vel repugnantes: ita in hominibus, varii affectus sive voluntatis sive appetitus inferioris sive habitu sint, sive actu, sunt causa cur phantasia et intellectus aliquid apprehendant ut conveniens vel disconveniens. Morales itaque virtutes in voluntate latentes, faciunt ut intellectus bonum honestum in actionibus judicet esse conveniens hic et nunc fieri: idque præstant, partim quia comprimunt passiones, quæ rationem perturbant in consideratione honesti, et bonum delectabile ostentant: partim quia subjectum ita disponunt, ut opus honestum sit ei quam maxime congruum, sicut sitienti potus, esurienti cibus: unde mirum non est intellectui statim ita videri. Consensio enim illa, quæ est inter objectum et affectum, causa est ex parte objecti, ut apprehendatur per modum convenientis; sicut e contra dissonantia est causa cur intellectus apprehendat ut dissentaneum.

Unde apparet quantam vim habeat affectus in omnibus judiciis practicis nostrarum actionum directivis. Idque experientia quotidiana comprobatur. Vide 1. 2. q. 9. a. 2. et 3. Dixi, *ordinarie*, quia aliquando, etsi rarius, fit ut aliquis de honesto hic et nunc prudenter judicet, quamvis voluntas sit prave ad illud affecta; ebriosus enim interdum judicat bonum esse, ut hoc tempore et loco, in hoc convivio rationis mensuram servet; etsi affectus ad hoc non inclinaret: et mæchus, ut se hic et nunc contineat; quamvis affectus in contrarium tendat. Ratio est, quia ut intellectus possit comprehendere honestum sub ratione convenientis hic et nunc; sufficit consensio, quam illud habet

cum natura rationali, in qua veluti in radice omnes virtutes morales continentur; pravi enim affectus non possunt illam consensionem et congruentiam tollere, quamvis eam multum obscurant, et obvolvunt. Unde moraliter fieri nequit, ut quis crebro prudenter judicet in particulari, sine virtute morali.

23. *Dices*. Virtutes morales supponunt prudentiam, quia sunt habitus electivi secundum dictamen prudentiæ; ergo prudentia non supponit virtutes morales; essent enim seipsis priores ac posteriores, et sibi ipsis causæ et effectus.

Respondeo, virtutes morales completas supponere prudentiam completam tanquam magistram, et directricem, quæ in singulis functionibus ostendat quid, et quomodo agendum. Inchoatas vero (nempe ut solum sunt affectus honesti in genere, v. g. temperate vivendi, cuique quod suum est reddendi) supponere prudentiam inchoatam, per *synderesin*, quæ est rudimentum quoddam, inchoatio, et principium prudentiæ; sicut affectus ille honesti est inchoatio virtutis moralis. At prudentia secundum illam suam inchoationem non supponit ullo modo virtutem moralem, sed est causa virtutis moralis inchoatæ: secundum vero suum complementum, quod habet ut se extendat ad actiones singulas, supponit virtutem moralem, saltem inchoatam.

24. Adverte tamen prudentiam posse dici dupliciter completam; *primo* essentialiter, cum se non tantum extendit ad principia moralia, et conclusiones generales, sed etiam ad plerasque actiones individuas alicujus virtutis: *secundo* extensive, cum potest facile in omni casu occurrente judicare. Simili modo virtus moralis potest dupliciter dici completa, essentialiter et extensive; essentialiter, cum extendit se ad aliquas functiones suæ materiæ prompte obeundas; extensive, cum ad omnes. Priori modo prudentia non supponit virtutes morales, nisi inchoatas; neque omnes, sed eas tantum, in quarum materia versatur. Altero modo supponit omnes virtutes morales etiam completas; quia nemo potest in omni casu prudenter judicare, v. g. in materia temperantiæ, nisi aliis quoque virtutibus sit instructus: si enim careat fortitudine, non recte judicabit de honesto temperantiæ, mortem intentante tyranno; si justitia, non recte judicabit quando jus alterius per temperantiam violaretur, negando debitum conjugii. Itaque perfecta prudentia requirit omnes virtutes morales: singulæ quoque virtutes morales, si perfectæ sint, supponunt prudentiam; ita tamen ut prudentia prius se extendat ad quamvis actionem in individuo, quam virtus moralis se ad illam proferat. Nam iudicium prudentiæ semper præit affectum virtutis moralis circa unum eundemque actum individuum. Sed de his plura 1. 2. q. 58.

Ex his intelligi potest in quibus sit prudentia, de quo D. THOM. a. 13. perfecta enim prudentia non potest esse nisi in viris probis, qui affectum in omni materia virtutis recte dispositum habent. Hi enim soli recte judicare in omni negotio occurrente possunt. In hominibus improbis, vel alicui vitio deditis, non potest esse nisi imperfecta prudentia; quia pravus affectus, quo laborant, non sinit eos prudenter in materia virtutis oppositæ judicare.